



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 4. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

cebit vos omnem veritatem; hæc siquidem promissio maxime intelligitur respectu Ecclesiæ, & de veritatibus ad fidem, & morum pertinentibus; unde ita formatur argumentum: Ecclesia regitur à Spiritu Sancto tanquam à Sponso suo, & à Christo habet promissionem hujus assistentiæ Spiritus Sancti in ordine ad cognoscendam veritatem fidei, & morum; atqui, si Ecclesia erraret quantumvis invincibiliter in doctrina fidei, & morum, neque Spiritus Sanctus docuisset omnem veritatem, id est omnem necessariam ad veram fidem, & Sanctitatem, quò tendebat Christi Domini promissio, neque Christi promissio vera esset; ergo Ecclesia adhuc invincibiliter errare non potest in doctrina fidei, & morum. Confirmatur. Christus, utpote caput Ecclesiæ influit in membra, quidquid necessarium est ad Ecclesiæ stabilitatem; atqui Ecclesia non posset esse stabilis absque vera doctrina fidei, & morum; ergo &c.

372. Probatur 3. Si Ecclesia Christi posset errare etiam per ignorantiam invincibilem credendò aliquid fallum tanquam fide certum, tota ejus fides redderetur dubia; posset enim quis in singulis formidare, & dubitare, ne forte per ignorantiam decipiatur Ecclesia in his, quæ proponit, proindeque posset etiam formidare de Sanctitate, utpote in fide fundata: sed hoc dici non potest absque manifesto errore in fide, & absque hæresi contra articulum Symboli, in quo credimus, Ecclesiam esse Sanctam; ergo &c. Confirmatur ex usu Conciliorum, & SS. Patrum semper recurrentium, ut statuunt fidem ad Ecclesiæ sensum tanquam ad omnino verum, & extra errorem, sive per ignorantiam, sive quocunque alio modo, ut constat ex Tridentino sess. 6. cap. 8. & sess. 14. cap. 5. & ex Ambrosio lib. 3. de fide cap. 7. ex Augustino lib. de utilitate credendi cap. 8. & 17. atque in principio librorum de doctrina Christiana; unde Tomo 6. contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti cap. 5. dixit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret autoritas*; ergo tanquam de fide omnino certum supponunt, quantum ad doctrinam fidei, & morum, Ecclesiam infallibilem esse: an autem hæc infallibilitas ster in congregatione membrorum cum suo capite, sive in Concilijs generalibus cum capite Ecclesiæ, quæ universalem Ecclesiam representant, an in Pontifice Vicario Christi, qui est Pastor, & Doctor Ecclesiæ, diximus alibi, præsertim num. 322. de gratia, ubi probavimus, hanc infallibilitatem in solo Ecclesiæ capite residere; eam autem residere in Ecclesia cum capite suo, omnes omnino Catholici tanquam de fide docent, adhuc illi, qui negant, residere in solo Pontifice. Quod satis nobis est pro re, de qua modò agimus.



SECTIO IV.

Solvuntur opposita.

Objicies 1. contra primam assertionem: Ecclesia in Scripturis, & SS. Patribus sæpè Lunæ comparatur; ergo sicut Luna à claritate deficit, & eclipsum patitur, ita & Ecclesia potest à doctrina fidei, & morum deficere, & incidere in errorem. Respondeo dist. ant. comparatur Lunæ in omnibus, neg. in aliquibus, conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia Ecclesia in eo dicitur familia Lunæ in Scriptura, & PP. non quidem, quòd sicut Luna deficit, sed præsertim in istis tribus. 1. quòd sicut Luna initio mensis exigua est, ac deinde paulatim crescit, donec plena, & perfecta sit; ita Ecclesia in principio sui ortus exigua apparuit, sed postea paulatim crevit, & quoad nos magna conspicitur. Sic Augustinus in Psalmum 103. ad illud *Fecit Lunam in tempora*. 2. quia sicut Luna accipit corporale lumen à Sole; ita Ecclesia accipit lumen fidei, & sanctitatis à Christo; ait enim Augustinus in Psalmum 10. *Luna videtur lucere Ecclesia, quod sum lumen non habet, sed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis Sol appellatus est, illustratur*. 3. quia sicut Luna mutationi obnoxia est; ita & Ecclesia in hac vita prout interdum fruatur pace, interdum persecutiones patitur. Sic Ambrosius lib. 4. Examer. *Ecclesia tempora sua habet persecutionis, & pacis; nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit, dormitare potest, desicere non potest*.

Objicies 2. Concilium Basileense deposuit Eugenium 4. & locò ejus creavit Felicem, & nihilominus postea Eugenius in sedem inrepsit sine Canonica electione, à qua ortum habuerunt subsequentes Pontifices, Episcopi, & Sacerdotes; ergo saltem ab illo tempore deficit Ecclesia, & non fuit infallibilis in doctrina fidei, & morum. Respondeo dist. ant. deposuit sine autoritate ad deponendum, solumque affectivè, quantum erat ex parte illius Conciliabuli, conc. deposuit verè, & cum legitima autoritate, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia, licet Concilium Basileense initio fuerit legitimum, dum in illo aderant Legati Pontificis, ex quo tamen ipsi revocati sunt ab Eugenio, cessavit Concilium, & factum est Conciliabulum schismaticum; unde, quamvis illud Conciliabulum tunc voluerit Eugenium deponere, decretumque confecerit, decretum illud nullius roboris erat, & Eugenius in Sede Petri legitime persistit, atque ita recognitus fuit ab universa Ecclesia, proindeque ejus Successores legitimi sunt, veramque retinent infallibilitatem.

Objicies 3. Non minus promissa est sanctitas Ecclesiæ, quam fides, cum sanctitas sit una ex notis Ecclesiæ; atqui sanctitas potest deficere in tota Ecclesia; ergo etiam fides, & infallibilis.

fallibilitas. Respondeo omnia maj. neg. min. quia sanctitas deficere non potest in omnibus Ecclesiae membris; semper enim dantur aliqui homines Sancti in Ecclesia, ut infertur ex illis Symboli verbis: *Sanctorum communionem*; quin potius perseverantia in fide magis promissa est Ecclesiae, quam ipsa sanctitas; cum sine fide nullum Ecclesiae membrum stare possit; bene verò sine sanctitate, ut late constat ex dictis.

376.

Objicies 4. Ecclesia est libera in credendo mysteria nostrae fidei; ergo potest nolle ea credere, ac proinde à fide deficere, qua fide in tota Ecclesia deficiente, jam non maneret Ecclesia, atque adeò nec infallibilitas. Confirmatur. Infallibilitas non debetur Ecclesiae, nisi post disquisitiones, & consultationes ad discernendum; atqui istae dispositiones, & consultationes possunt omitti; ergo & infallibilitas in Ecclesia potest amitti. Resp. dist. antec. est libera libertate antecedente, conc. subsequente ad promissionem divinam de stabilitate, & infallibilitate Ecclesiae, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia postquam Deus vidit, quae auxilia indifferentia futura essent efficacia, quantum ad retinendam fidem in pluribus Ecclesiae membris, Ecclesiam suam stabilivit, & decrevit ea auxilia praevisa conferre; unde consequenter ad praevisionem divinam, & in sensu composito illius est impossibile, quòd fides deficiat in omnibus simul membris Ecclesiae. Caeterum de hoc latius diximus agendò de praedefinitionibus tum in Tractatu de Deo, tum in Tractatu de grat. Ad confirmationem omitto maj. & neg. min. quia, si supponatur necessaria disquisitio, & consultatio, ut legitime proponatur Ecclesiae decretum obligans ad fidem, & mores pertinens, nequit contingere, quod tale decretum Ecclesiae intimeretur sine conditionibus ad illud requisitis, quod legitime infertur ex moribus, & Christi promissione à nobis superius allatis.

377.

Objicies 5. contra secundam conclusionem: error inculpabilis in aliqua fidei veritate non destruit fidem; sic Cyprianus docuit, baptizatos ab Haereticis debere baptizari, & non fuit infidelis; ergo tota Ecclesia habere potest errorem inculpabilem in fide. Respondeo omisso antecedente neg. consequentiam; quia, licet error inculpabilis in aliqua fidei veritate reperiri possit in privata persona; at reperiri non

potest in tota Ecclesia; nam privata persona non est columna, & firmamentum veritatis, bene Ecclesia, ut docet Apostolus citatus num. 366. unde contra veritatem fidei nunquam potest tota Ecclesia adhuc invincibiliter sentire; quin potius ipse Christus, & Spiritus Sanctus censerentur definire contra fidem, si Ecclesia contra fidem definirer, ut constat à num. 369. ut enim habet Div. Thomas 3. part. quaest. 12. art. 1. ad 3. *Christus est caput Ecclesiae, & Spiritus Sanctus ejus cor; actiones autem vitales corporis naturalis attribuuntur capiti, & cordi; quare, si Ecclesia proponeret aliquid contra fidem, Christus, & Spiritus Sanctus illud definire censerentur.*

378.

Objicies 6. Summus Pontifex, qui est caput Ecclesiae, potest saltem inculpabiliter in aliqua fidei veritate errare; sed infallibilitas Ecclesiae non in alio resideret, nisi in Summo Pontifice; ergo Ecclesia non habet infallibilitatem. Respondeo dist. maj. potest errare ut persona privata, omitto, ut caput Ecclesiae, neg. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Ratio est, quia infallibilitas non est promissa Pontifici, ut personae privatae, sed ut Ecclesiae capiti, hoc est, quatenus loquitur ex cathedra, sive ut proponit aliquid pertinens ad fidem, & mores, obligandò Ecclesiam ad credendum, & hoc modo non potest Summus Pontifex adhuc inculpabiliter in fide errare. Reliqua argumenta, quae hic fieri possent, dedimus, & dissolvimus in Tract. de grat. n. 368. 365. & 423. Caeterum datò, & concessò, quòd haec infallibilitas ad definiendum non resideret in Pontifice extra Concilium, sed cum generali Concilio definiente, atque Pontifice approbante, per quod generale Concilium representatur universalis Ecclesia, satis esset ad hanc nostram conclusionem stabiliendam; quandoquidem Ecclesia visibilis in eo casu gauderet infallibilitate; hanc equidem infallibilitatem omnes omnino Catholici docent, soli quae Haeretici, & Pagani negant: eam namque promissam esse à Christo Domino Ecclesiae suae satis constat ex dictis n. 365. quod satis est, ut sciamus doctrinam, quam tradunt Haeretici, esse omnino falsam, utpote damnatam ab Ecclesia, quae columna est, & firmamentum veritatis. Alia, quae hic superaddi possent, pertinent ad disputationem de Ecclesiae perpetuitate.

DISPUTATIO IX.

AN DETUR VIVA, ET INFALLIBILIS REGULA FIDEI NOBIS APPROXIMANS VERBUM DEI:

279. **V**erbum Dei aliud est scriptum, & aliud traditum; de utroque loquitur Paul. 2. ad Thessalonicenses 2. *Itaque fratres tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram: ubi traditiones per sermonem dicuntur Verbum Dei traditum, quae habentur in Epistolis, dicuntur Verbu Dei scriptum; unde Chrysostomus in hunc locum ait: Hinc patet, quòd non omnia per Epistolas tradiderunt, sed multa etiam sine litteris, eadem verò fide digna sunt tam ista, quam illa.* Et certe, cum utrumque sit Verbum Dei, non potest unum esse minori fide dignum, quam alterum. Scio, Haereticos negare Verbum Dei traditum